

cumentum haberi possit. Qui conatus, ut ut sua laude defraudandi non sint, vehementer tamen laborare possunt: id quod illi omnes facile mihi largientur, qui aequum, atque ad veritatis trutinam exactum iudicium de cultus diuini vera indole ferre voluerint. Multi multa agunt: aut multos multa agendo parum, vel nihil agere, probe itidem scimus. Non merum sufficit piae mentis studium, neque in bona acquiescere nobis licet intentione, finem quoque optimum actionem integram in bonam conuertere non posse, omnes rerum periti confitentur; sunt praeterea, quae requiruntur ab illis, quorum facta diuini cultus rationem habere, veraeque pietatis effecta esse debent. Accurata honoris diuini praestruenda est notitia, scire necessum, quid sit actio in illius honorem instituta, quibus nitatur principiis, limites diligenter obseruandi sunt, ne ad dextram sinistramue deflectendo in praecipitia incidamus. Et quum omnes actiones suis stipatae sint circumstantiis, vnius momenti defectus, vel etiam leuissimi, totam actionem, bonam alias, reddit vitio laborantem. Quorum omnium ignorantia & neglectus quantum dudum verae pietati per praeposteros illius studiosos, adsperserit maculam, quantum vitiorum virtutumque pepererit confusionem, ii optime sciunt, qui ad notitiam factorum moralitatis scrutinium attulerunt. Coecum obserues impetum potius, quam genuinam animi concitationem in iis, quorum mens neque vera honoris diuini idea, neque diuini cultus normaeque recta cognitione informata est. Vides istos voluntatem Dei sibi conciliaturos illis rebus, quae, inconsultis sacris monumentis, animo peraguntur, rerum suarum minime certo. Vana nituntur spe, ea Deo fore accepta, quae, ut ipsi probentur, exoptant. Quodsi tibi non graue fuerit, accuratum cogitationum eorundem instituere examen, quaerendo eosdem expiscatus, intelliges, eos omnia, quae veris Dei cultoribus perspecta esse debent, scire cum ignarissimis, sedulos nihilominus in opere suscepto. An non vitii temeritatis in cultu diuino admissi hos homines incusarem? certe ab omni temeritate liberare non possum. Sententiam hanc, quam fundamento destitutam non puto, vltius exponam paucisque ostendam, dari temeritatem in cultu diuino, studiose fugiendam.

Ipsa autem rei pertractandae ratio necessitatem mihi imponere videtur, ut temeritatis ideam euoluam, quo facto facilius erit, eadem  
cum